inimicitiæ deponerentur, datâ utiq; sedulâ hâc operâ,
ut summa quies esset ubiq; & tum temporis, tum ani-
mi tranquillitas. Quid ergo, dum res Jubilæi ita
se habent, faciendum. Ostendenda pariterq; &
demonstranda mihi utriusq; & Pentecostes N. & V.
Jubilæi Foederis convenientia venit. Et quidni
Argum. Comp. I. veniret fusius res hæc tractanda? Ecce enim, ne-
minem, A. M. Vestrûm, dummodò sacras sacrarum
literarum pandectas unâ vel alterâ vice summâ
cum attentione perlegerit, tam perfrictæ frontis ac
notû esse arbitror: ut dubitare aut negare ausit:
Jubilæum prisci Foederis secuturæ Pentecostes N. T.
fuisse figuram. Est res hæc suâ luce clara. Clara
est, imò clarissima: cumprimis ubi tam evidens
utrobiq; illic quidem annos, hic autem dies compu-
tandi, sit convenientia. Quodsi verò aliquis id ad-
huc revocaret in dubium: ego equidem illum ad Sa-
Levit. XXV. 8. cros Scriptores, Moysen & Lucam, ad Lucam quidem
Actor. II. 1. in Actis Apostolicis diei quinquagesimi, ad Moysen
in Levitico quinquagesimi anni, mentionem faci-
entes amandarem. Expressis utiq; verbis eundem
numerum utrobiq; numeratum legimus. Quinqua-
gesimum legimus annum, quo definitus Jubilæus
habebatur annus. Quinquagesimum legimus di-
em, quo definita Pentecoste N. T. habetur.